

24
B. C. D.

Sub Scep^{tr}is Academicis
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,
DOMINI

JOANNIS GVILIELMI,
DUCIS SAXONIÆ, JULIACI, CLI-
VIÆ AC MONTIUM, &c.

DE

RESISTENTIA HOMI-
NUM MALITIOSA, QUÆ
FIT SPIRITUI SANCTO IN OPÈRE
CONVERSIONIS,

PRÆSIDE

DN. JO. GVILIELMO BAJERO,
S. Th. Doctore, ejusdemq; in incluta
Academia Salana Professore Publico,

Dn. Patrono, Præceptore ac Hospite suo omni obser-
vantia cultu æternum devenerando,

Publicè disputabit

AUCTOR

JACOBUS VELTEN,
Delpho-Batavus.

XV. kl. Maji, M DC LXXXIX. Mai 1689

JENÆ,

Literis JOH. DAVID. WERTHERI, Typogr. Ducalis.

PLURIMUM REVERENDO, AMPLIS-
SIMO ATQVE CLARISSIMO

VIRO

M. THEODORO DO-
MINICO,

Ecclesiae Augustanae Confessionis addi-
ctae apud Amstelodamenses Pastori vigi-
lantissimo,

*Præceptori suo filiali observantia
colendo,*

Beneficiorum quam plurimorum in se collatorum memor, in
gratæ mentis tesseram, exercitium hoc theologicum ea,
quâ par est animi submissione,

donat

dicat

consecrat


AUCTOR.

Perquam eximio & præclarè docto
Dn. JACOBO VELTEN,
S. Theologiæ Studio sedulo
& felici,

*Convictori atque Inquilino suo sibi valdè
dilecto & honorando,*

S. D.

JOHANNES GVILIELMUS BAJERUS, D.

 On potui improbare confi-
lium Tuum, quò de specimine profe-
ctuum in studiis sacris publicè exhi-
bendo cogitans, de *Gratia Dei* dis-
putare, eamque *non esse irresistibilem*,
quod Calvino-Reformati volunt, ostendere decre-
visti. Stare in gratia Dei usque in hanc diem Ti-
bi datum est. Odisti hostes gratiæ, Pelagianos &
quicquid est turbæ Semipelagianorum. Itaque
agnoscis & celebras gratiam divinam; sed gratiam,
qualis per gratiosam revelationem nobis patefa-
cta est, quam *contemni* posse, quâ *excidere* quos-
dam sua voluntate solere, ubi homines aliquando
nolle hoc ipsum, quod *vult* Deus ex gratia sua
contingere illis, testantur Scripturæ. Sanè miran-
dum est, eos, qui pro gloria gratiæ divinæ pugnare
videri volunt, quando eam *insuperabilem, indecli-*
nabilem atq; adeò irresistibilem, contrà quam gra-
tia Dei de seipsa docet, asserunt; quasi aliquid de-
cedat

cedat de gratiæ dignitate, nisi rejici non posse statuatur; simul tamen gratiæ divinæ magnitudinem hoc ipso minuere, quòd cum eam Deus affirmet porrigere se non tantum ad amplectentes; verum etiam ad recusantes: ipsi restringant amplitudinem subjecti, ac Deum, quod de se affirmat, simulare fingant: qui verbis profiteatur, se amare eos & ad conversionem eorum tendere, quos tamen prorsus oderit, & gratiam conversionis necessariam, quam aliis ita conferat ut repugnare nequeant, his ex mero beneplacito deneget, & ad actus repugnantiae potius ipse irresistibiliter determinet. Quæ quomodo cum vera in Deum religione stare possint, ego quidem non capio: Reformatis autem, qui gratiam resistibilem dicere, religioni sibi ducunt, id accidere credo, quod ille quondam dixit: *Hic ubi opus est, non verentur: illic ubi nihil opus est, ibi verentur.* Tua verò, Amice, opera inter Scyllam Pelagianam, & Charybdin Reformatorum, medium tenet. Afflabit porrò cœlestis gratiæ aura, & non-reluctantem, cum possis; obsequentem autem per vires gratiæ, ad portum, cursu felici perducet. Ego autem hoc magis id futurum spero, postquam Ingenium moresque tuos & fortia vidi Prodivæ Eusebii sacris certamina. Maçte Hoc animò studioque! Dei Te Gratia fervet! Scrib. Jenæ d. XI. Aprilis, A. C. clò lcc LXXXIX.

Momen.



B. C. D.

Momentum controversiæ, non est, b. Lector, ut pluribus indicemus, cum adversarii ipsi concedant, stante nostra hypothese, *predestinationis suæ auream catenam rumpi*. Montrato siquidem, gratiæ divinæ eandem esse vim, eandemque operandi rationem in electis & reprobis; causam vero, quòd homines multi pereunt, in pereuntium culpa ac repugnantia malitiosa unice collocandam esse; sponte suâ ruit ad exitium, totum figmentum, quod circa electionem tenent. Statim ergo controversiam ipsam aggredimur: quod ut feliciter succedat, oramus Numen benignissimum.

CAPUT I.

Terminos & distinctiones in hac doctrina crebro occurrentes explicat.

§. 1.

Lubet in aditu terminos prius, & distinctiones crebro occurrentes, explicare. Et quidem primo loco, distinctionem gratiæ, in *sufficientem & efficacem*. Communiter

munitur ita distinguitur, ac à Nostratibus non improba-
tur: non quòd, Calvinianorum more, hanc, ab aitera, spe-
cie distinctam, statuant; una siquidem est gratia, quæ in
credentibus operatur, & in reprobis repellitur; semperque
efficax, efficaciam *intrinsicam*, ad effectum, ordinatum ad salu-
tem, producendum. Sed sensu aliò orthodoxo, quò gra-
tia sufficiens esse potest, quæ tamen actu secundo in ho-
mine tanquam in subjecto non assequitur aut producit ef-
fectum, aliunde impedita.

§. 2. Nimirum vox *gratiæ Dei*, quam *πολύσημον* esse,
Scripturarum atque Ecclesiasticò stylo constat, *duplici* po-
tissimum accipitur sensu; *vel* ut est formaliter in Deo, & sic
denotat perfectionem illam voluntatis divinæ, per quam ea
ad homines, nihil boni meritos; indigentes autem ope ali-
enâ, tanquam juvandos, aut bonum eis conferendum, ter-
minatur. Unde *χάρις* illa aliò nomine *χρηστότης*, *bonitas*
Dei, quâ Deus nobis bonus aut benignus est; *φιλανθρω-
πία* quous, *ἔλεος*, *ἀγάπη* &c. appellatur: *vel*, uti est opus ac fi-
gnum quoddam illius, à qua proficiscitur, gratiæ, & nomine
χαρίσματος interdum exprimitur: atque ita porro variat, &
denotat aliquando ipsum verbum Dei, quod est medium
salutis; aliàs actum exhibitionis verbi, vocationis, conver-
sionis, justificationis, renovationis hominum, quæque huc
tendunt atque à Deo veniunt dona, ministrantia & sancti-
ficantia.

§. 3. Quod si ergò de gratia Dei quæras, utrum suf-
ficiens? an etiam efficax sit? quemadmodum quæstio in
respectu ad conversionem & salutem hominum vulgò in-
telligitur; & *sufficere* dicimus, quod satis est in ordine ad
finem; *efficax* verò, vel quod actu secundo efficit aliud aut
producit, vel in actu primo, quod pollet virtute activa ad
efficiendum aut producendum illud: hîc fortasse simul at-
tendendum est, ad differentiam hominum, quorum aliqui
convertuntur & salvantur; alii non convertuntur & pe-
reunt. Itaque respectu eorum, qui convertuntur & sal-
vantur, prout certum est, eos per gratiam Dei converti &
salvari;



salvari; ita nec dubium est, gratiam Dei, pro bonitate Dei aut etiam pro actuali amore Dei acceptam, esse sufficientem, quatenus voluntas Dei omnino terminatur ad omne illud his præstandum, quicquid requiritur ac satis est ad conversionem eorum & salutem: atque ita eandem esse efficacem, quatenus Deus favore suo movetur ad efficiendum penes hos omnia, quæ requiruntur ad conversionem & salutem: certum præterea est, gratiam Dei pro ipso opere ac donis sumtam, ratione horum hominum esse sufficientem, quia nihil his deest eorum, quæ convertendis & salvandis sunt necessaria: efficacem quoque esse, quia ad ipsam conversionem & salutem eorum terminatur, eamque attingit, aut post se trahit.

§. 4. Sed respectu posterioris classis hominum, qui actu non convertuntur, nec salvantur, res paulò aliter sese habet; hoc ipso, quòd de his, qui actu non convertuntur nec salvantur, dici non potest, quod Deus eos actu convertat & actu salvet; ideòque, si gratia efficax dicatur, per quam actu efficitur conversio hominum & salus; non videtur hæc appellatio locum habere respectu eorum, qui non convertuntur nec salvantur. Nec tamen ideò Nostrates gratiam divinam respectu eorundem hominum, vel negant esse sufficientem, vel sufficientem tantum, non autem efficacem esse docent. Scilicet Bonitas Dei ipsaque caritas, etiam respectu horum talis ac tanta est, ut Deus, tanquam ex se, paratus ac promptus sit, his quoque non denegare, sed quantum est ex sua parte, præstare quod satis est ad conversionem eorum & salutem. Et sic non est in Deo otiosa quædam complacentia tantum ad conversionem & salutem eorum terminata, aut inefficax quoddam desiderium seu votum; sed seria intentio & propositum nihil denegandi eorum, quæ divinitus sunt conferenda ad id, ut possit effici illorum conversio & salus; quæ etiam actu efficeretur, nisi homines ipsi impedirent. Atque hoc est, gratiam Dei, quæ est intra Deum, etiam respectu horum hominum esse sufficientem pariter atque efficacem. Est

autem & opus Dei circa hos homines, gratiæ sufficientis atque efficacis nomine dignum, eò, quod (1) verbum Dei ad generandam fidem sufficit, & per virtutem infinitam ei indissolubiler conjunctam, efficax est quoad actum primum: (2) idem hoc verbum sufficienter, imò abunde exhibetur non minùs his, qui non convertuntur, quàm qui convertuntur; & quando exhibetur, est & manet efficax, quoad vim, activam, quam sibi conjunctam habet, & quantum in ipso est, exerit se, quoties à parte subjecti, cui exhibetur, non impeditur. Unde etiam (3) motus primi conversionis in multis actu ipso excitantur, qui tamen mox repugnant, quò minùs cæteri motus actusque accedant, qui aliàs secuturi essent. Manet ergò iterum gratia conversionis, quantum est à parte Dei, etiam respectu horum hominum sufficiens atque efficax.

§. 5. Nec derogat hoc quicquam efficaciam ejus, quod non semper effectum suum producat, quippe hominis ea culpa est, qui gratiæ malitiose resistit. Talentum illud unicum, quod dominus *Matth. XXV.* servo dederat, non minus aptum erat ad quæstum faciendum, quàm tria aut duo alia; quod vero is revera nihil lucratus est, ex ignavia & malignitate servi ipsius ortum ducit *vers. 26.* Sed & intentio Domini distribuentis talenta ad faciendum lucrum, seria & benigna fuit respectu servorum omnium. Granum illud, *Matth. XIII.* quod secundum viam, in petrosa, in spinas, cecidit, eadem efficaciam intrinsecam pollebat, ad fructum producendum, quàm quod *vers. 8.* in bonam terram cecidit; causa vero, quod non fructus edidit, in agro quærenda est *vers. 4. 5. 7.* Nulla hinc quippe diversitas intentionis, ex parte seminantis fingi potest. Similiter prandium illud *Matth. XXII.* idem fuit, quò nutriebantur hospites electi, cum illo, quod hospitibus indignis, emanentibus, & mala veste indutis, præparatum erat. Cessat proinde & hinc distinctio gratiæ efficacis contra sufficientem, sed manet una eademque gratia. Ratione verò eventus diversi, distinguitur, in sufficientem & efficacem; ita ut sufficiens nobis dicatur, quando



quando Deus ad hominum conversionem paratus est conferre, & confert ea, quæ à sua, Dei, parte, requiruntur, & conferenda sunt, omnia, ut homo possit converti: quemadmodum paterfamiliâs sumtus sufficientes, laborem sufficientem conferre paratus est, & confert vineæ ad ferendum fructum; etsi hæc omnia sint absque fructu, ob sterilitatem. Efficax tunc verò dicitur, quæ non solum ex parte Dei sufficiens est ad id, ut homo per eam possit converti, sed etiam in homine non malitiosè resistente, effectum conversionis re ipsa actu producit. Posset Judæorum captivorum simile rem declarare. Cyrus Rex, mandato sufficienti omnibus Judæis mandaverat, in Judæam rursus ascendere: non tamen actu omnes reversi sunt: quidam in Babylonia manserunt: non ex inefficacia mandati Regis, sed ex voluntate propria, quâ mandato noluerunt obtemperare.

§. 6. Reformati longe aliam explicationem hujus distinctionis adferunt. *Efficax* enim ipsis est motio divina, seu actio Dei, quæ ex se determinet intellectum ad assensum, voluntatem verò ita, ut non modo obsequatur revera & certo, sed non possit non obsequi. Quam explicationem in sequentibus refutabimus. Nunc tantum perlustranda explicatio gratiæ *sufficientis*. Miranda eorum industria in hujus significatione evolvenda. Dicunt enim, sufficientem gratiam conferri variis, quibus Deus efficacem non vult: interim his sufficientem esse, ut reddantur *inexcusabiles*, & *justam damnationis causam intelligant*. &c. *Wetteravi act. syn. p. 709*. Sed quis non videt, ineptam esse hanc explicationem? Demonstrent enim, quomodo quis ingratitude possit convinci ratione ejus beneficii, cujus nunquam particeps fieri potuit. Certè ingratitude præsupponit possibilitatem apprehendendi rem illam, cujus respectu ingratus est. Cum captivo carcerem aperio, compedes verò non solvo, quibus ligatus tenetur, minimè captivum hunc possum ingratitude accusari, quod non egrediatur, quia impossibile ipsi, compedibus nondum solutis, egredi. Eodem modo res se habet



cum gratia. Si sufficiens sit ad convincendum mundum ingratitude, sufficiens debet esse ad conversionem; si enim non sufficiens ad conversionem, nec sufficit ad convincendum mundum ingratitude ob omissam conversionem. Nec valet exceptio *Leidensium* in *Censura cap. 17. §. 3.* qui per *Evangelium* vocantur, *sufficienter* vocantur, id est, *Deus in iustitia sua non obligatur ad eos aliter vocandos.* Resp. enim: quia Deus vocationi suæ addidit promissionē salutis obedientibus, & pœnas gravissimas inobedientibus, necesse habet ex iustitia veracitatis suæ, homini convertendo, tantam concedere gratiam, ut possit vocationi obedire. Alias iniustitiæ accusaretur, si mandaret hominibus, quod non vult ab ipsis præstari, & ad quod vires sufficientes ipse multis ex mero beneplacito largiri non vult. Absit hoc à Deo.

§. 7. Eodem modo ferè res se habet cum distinctione vocationis *externæ & internæ.* Calviniani siquidem hic nobis fingunt duas specie distinctas vocationes. *Externam* contendunt per verbum fieri, aures solummodò feriendo, & notionem rei cognoscibilis menti inferendo. Intellectum vero ad assensum ajunt excitari in homine, per inspirationem quandam immediatam, atque ex absoluto Dei beneplacito proveniente. Ita *Calvinus lib. 2. Instit. cap. 5. §. 5.* *bifariam Deus in Electis suis operatur: intus per Spiritum, extra per verbum.* Verbo autem, præter intelligibilitatem seu evidentiam suam, semper divinam virtutem conjunctam habere, negant *Synodici Act. Syn. p. 1. p. 745.* rejicientes has Remonstrantium sententias: *Externam verbi prædicationem esse conjunctam cum tractione aliqua, quæ fit per Spiritum; & Internam Spiritus actionem, ab actione interna verbi non esse separandam.* Helvetii ajunt: *hominem non affici sive minis, sive promissionibus Evangelii, nec impelli efficaciter, nisi Spiritus sanctus eum ordinariè vel extraordinariè gratiosa sua efficaci operatione regeneret.* Hinc porrò externam minimè sufficere ad salutem autumant, nec Deum velle, ut omnes convertantur, qui externè vocantur; sed illi tantùm, quibus vocatio interna contingat &c. in illisque conversionem irresistibiliter ope-



operari : cū tamen nullo modo sint divellendæ, ac à se invicem separandæ, duæ hæ vocationes : externa enim vocatio, internam sibi semper, quantum est à parte Dei, conjunctam habet ; ac proinde una tantum vocatio, quæ diverso respectu, interna & externa vocatur. *Externa*, quatenus per verbi prædicationem, extrinsecus auribus contingit. *Interna*, quia, verbo hoc prædicato, indissolubiliter semperque inest vis quædam Spiritus sancti, quæ corda flectit ad assensum rebus fidei præbendum. Sed quia infra, bono cum Deo, acturi sumus de operatione Spiritus sancti cum verbo, non opus judicamus hac de re plura hîc agere. Benevolum lectorem illuc mittimus.

§. 8. Nunc aliquid de termino *resistentiæ* monendum. Solet communiter duplex constitui, *naturalis*, & *acquisita*. *Naturalem* nuncupant, quæ ex connata carnis corruptione provenit. Cunctis enim post lapsum hominibus, non solum inest ignorantia rerum divinarum, uti *Paulus I. Corinth. II, 16.* ait : *Animalis homo non est capax eorum, quæ sunt Spiritus Dei.* Verum inclinatio quædam ad oppositum : ut Deus ipse dicit *Gen. VI, 5.* *Figmentum cogitationum cordis ejus, tantummodo malum est omni tempore.* Et *Paulus Gal. V, 17.* *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, hæc autem inter se opposita sunt, &c.* Ex quo fit, ut doctrinam cœlestem ludibrio habeamus ; uti *Paulus iterum ait I. Cor. XI, 14.* *Sunt illi ea, quæ credi debebant, stultitia, nec potest cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur.* Atqui hæc resistentia in omnibus æqualis est ; quia omnes peccato originali infecti sunt : quod non opus est pluribus probare, quia ab adversariis conceditur, deque hac acceptione resistentiæ nullam litem movent.

§. 9. *Acquisitam*, quæ communiter *resistentia malitiosa* ; vocatur, dicunt esse talem, quæ sua sponte contracta est, quæque in aliis major, in aliis minor reperitur, prout malitia illa in hominum corde altiores egerit radices. Sunt enim quidam, qui omnem rectæ rationis usum excusserunt, ac eo usque peccatis se dederunt, ut nullam prorsus medicinam
sibi



sibi allatam velint admittere. In ipsis est *durities cordis*, quod respicere nescit, Rom. 2, 5. hi *tenebris obscuratam mentem habent*, alienati à via Dei propter *indurationem cordis ipsorum*, Ephes. IV, v. 18. Sunt deinde alii, qui eo usque non prolapsi; in peccatis gravibus tamen, & contra conscientiam viventes, quamvis ægrè, paulò faciliùs tamè quàm priores ad pœnitentiam possunt perducì. Tales fuerunt illi publicani & meretrices, de quibus Christus dixit *Matth. XXI, 31. Amen dico vobis, publicani & meretrices præeunt, facilius veniunt, vobis in regnum Dei.* Alii & his meliores, in quibus malitia acquisita minores imò minimas egit radices: ut gentilium quidam, de quibus *Act. XIII, 48. qui laudibus extulerunt sermonem Domini.* Tales etiam fuerunt, antequam converterentur (nam quatenùs ut fideles nobis occurrunt, hîc non spectantur; sed quatenùs præ aliis, & inter alios maxime corruptos, faciliùs conversi fuerunt) *Nathanael, Job. I. Eunuchus Reginae Candaces, Act. VIII. Cornelius Centurio, Act. X. Lydia, Act. XVI.* aliique. Ex quo sequitur, unum alio citius & facilius credere; & in aliquibus eo usque perventum esse, ut gratia ordinaria plane succumbat.

§. 10. *Resistibilis gratia* ergo nobis dicitur, cui homo per suam sponte contractam malitiam resistere potest; sive ei actu resistatur, sive non resistatur. *Irresistibilis*, cui per suam sponte contractam malitiam resistere non potest. Nec ignotum nobis, vocem *resistentiæ & irresistibilitatis* in Calvinianorum scriptis non æque usitatam inveniri, quippe qui contendunt, à Remonstrantibus, *ad constandam veritati invidiam* voces has esse introductas; contra quos Reformati aliis vocibus utuntur, ut *insuperabilis, inevitabilis, inluctabilis, vis verticordia & πειθαρχικη*. Calvinus *inflexibilem* appellat lib. 2. Instit. Cap. III. §. 11. Gomarus *indeclinabilem & vim omnipotentem* dicit: alii alia hisce similia. Verùm quia ambiguitate quadam involutæ sunt, maluimus voces *irresistibilis & resistantiæ* retinere, quàm aliis utendo, statum controversiæ minus perspicuè explicare. Atq; hæc de terminis dicta sunt.

CAPUT

CAPUT II.

Format statum controversiæ, ac
sententiarum discrepantiam pro-
ponit.

§. I.

Progrediendum nunc ad quæstionem ipsam, inter Orthodoxos & Calvinianos agitatam, (nam de consensu quorundam Pontificiorum hac in parte cum Reformatorum doctrina, nobis nunc non agendum; nimis namque paginae crescerent) quæ hæc est: *An positis ex parte Dei omnibus ad conversionem requisitis, gratia præveniente, excitante, efficaci, & si quid porrò ex parte causæ superioris necessarium fuerit, tamē homo convertendus impedire possit conversionē suam? an vero convertatur modo irresistibili?* miranda hîc Calvinianorum astutia, in involvendo statum controversiæ. Fere semper enim, in eorum scriptis, vel callidè, vel perfunctoriè proponi invenies. Quæstionem dicunt esse; *an positis ex parte Dei omnibus ad conversionem requisitis, homini liberum sit converti?* vel sub hac alternatione: *an positis ex parte Dei omnibus ad conversionem requisitis, liberum maneat homini converti vel non converti?* Cum tamen facultas convertendi, & facultas non-convertendi, etiam positis divinis requisitis, manent ex diversis principiis. Facultas non-convertendi, provenit ex principio hominis naturali, scilicet malitia sua, quâ operationi Spiritus sancti resistit. Facultas autem convertendi, ortum ducit ex principio supernaturali, præveniente scilicet gratia. Et positis omnibus ex parte Dei, etiam obsequio hominis, non tamen æquè libere convertitur & non convertitur. Convertitur supernaturaliter & difficulter, etiam tunc, quando paret: sed facillimè non convertitur, etiam omnibus requisitis ex parte Dei positis. Sed notus nobis est Calvinianorum scopus, ut scilicet incauto lectori persuadeant, nos statuere, gratiam ad hoc saltem prærequiri, ut

B

ri, ut

ri, ut vires naturales voluntatis eliciat, quæ se non essent exercituræ, nisi præ existeret eliciens. Et hinc in nostram doctrinam acrius feruntur, quod sit pelagianizans, vel ad minimum ad semipelagianismum tendens: quod tamen à sententia nostratum prorsus alienum est. Itaque quando de resistentia quæritur, quæstio est de facultate negandi assensum & obsequium, non præbendi.

§. 2. Reformatorum iudicium de hac controversia explicat *synodus in decretis* de articulo tertio & quarto, num. 9. hac est, inquit, illa tantopere in Scripturis prædicata regeneratio, quam Deus sine nobis in nobis operatur. Ea neutiquam fit per talem operandi rationem, ut post Dei operationem in hominis potestate maneat regenerari, vel non regenerari, converti, vel non converti. Et in rejectione errorum art. 8. rejiciuntur, qui docent: hominem Deo regenerationem ejus intendenti, ita posse resistere, vel actu ipso sæpe resistere, ut sui regenerationem prorsus impediat, & Northollandi act. synod. parte 2. p. 290. anathema dicunt dissentientibus: blasphemiam apellant, cogitatu nihil magis horribile, dictu nihil scelestius excogitari posse, apage illas blasphemias ex Ecclesia Dei, hominem scilicet posse regenerationem suam impedire, etiam sæpenumero. Quantus zelus! ne quisquam verò de singulorum doctorum consensu circa hanc opinionem dubitaret, addiderunt in fine decretorum de perseverantia, fol. 376. act. hanc asseverationem de consensu totius Ecclesiæ: quotquot nomen Servatoris nostri Jesu Christi invocant, eos *synodus hæc Dordracena* per nomen Domini obtestatur, ut de Ecclesiarum Reformatarum fide, non ex coæcervatis hinc inde calumniis, vel etiam privatis nonnullorum, tum veterum, tum recentium doctorum scriptis, sed in hac orthodoxa doctrinæ declaratione, unanimi omnium & singulorum totius synodi membrorum consensu firmata, judicent.

§. 3. Sed, ut tanto melius de Adversariorum sententia nobis constet, sciendum illos circa conversionem, duplicem statuere gratiam: primo vocantem externè per verbum, quando Deus homines, nondum conversos, dignatur ad fidem,



dem, obedientiam & salutem invitare, per concionem Legis & Evangelii. Hanc operationem, quando Spiritus sancti operationem non conjunctam habeat, dicunt resistibilem. *Secundò* internam, perquam opinantur Spiritum sanctum affundere in intellectu, sine cooperatione verbi, conceptus singulares, inque voluntate habitum obedientiæ. Ita ut verbo præter materialem, seu objectivam notificandi vim, nulla causandi vis remaneat; conversio autem ipsa ab immediata & irresistibili quadam influentia Spiritûs Sancti proveniat. Ita enim se declarant synodici act. Syn. part. 2. p. 346. *Gratia, inquit, Dei præveniens, non est tantum externa prædicatio verbi, aut interna moralis suasio vel motus Spiritus vivifici secundum efficacissimas rationes, quæ verbo Dei continentur, sed est donum supernaturale divinitus infusum; Verbum Dei ex se non est sufficiens aut efficax instrumentum, &c. & Ultrajectini p. 293. ad eam, quæ verbo Dei propria est, operationem, necesse est, ut peculiaris Spiritûs sancti operatio, ab ipsa verbi operatione distincta, accedat, & lumen supernaturale superinfundatur.* Nec mirum Calvinianos ita statuere, necessitas cogit illos: Positò enim absoluto electionis & reprobationis decreto, media irresistibilia adhibere necesse habet Deus; alias à scopo suo aberraret, quod absurdum. Cùm verò vident, verbo externo posse, imò actu à quibusdam resisti, figunt aliud medium conversionis, quod est immediata quædam inclinatio & vis atque operatio irresistibilis; ut ita facilius absolutum ipsorum decretum firmum maneat.

§. 4. Orthodoxi verò statuunt, Spiritum sanctum operari quidem conversionem in nobis, sed mediante verbo externo; nullamque motionem & vim Spiritus sancti agnoscunt extra verbum in hominibus convertendis. Hancque operationem porrò dicunt eâ ratione non operari, quin homo possit malitiosè resistere. Ut ergò eo feliciùs contra adversarios procedamus, probandum nobis 1. Spiritum sanctum cum verbo semper & indissolubiliter conjunctum esse, ac non aliter nisi per hoc verbum conversionem operari.



§ (12) §
2. Verbum hoc eo modo aut ratione non operari, quin possit resisti.

CAPUT III.

Operationem Spiritus Sancti cum verbo indissolubiliter conjunctam esse probat.

§. 1.
Quòd ad primum attinet, pulcre hac de re *Augustana Confessio art. V. ut fidem consequamur, institutum est ministerium docendi evangelii, & porrigendi sacramenta; nam per verbum & sacramenta, tanquam per instrumenta, donatur Spiritus Sanctus, qui fidem efficit, ubi & quando visum est Deo, in iis, qui audiunt Evangelium &c. & in antithesi adjecta damnant Anabaptistas & alios, qui sentiunt Spiritum Sanctum contingere sine verbo externo hominibus.* Verum enim vero & Calviniani etiam fatentur, absque verbo Spiritum Sanctum non dari, qui fidem in nobis operatur; uti discrete loquitur *Wendelinus lib. 1. cap. 24.* & ita conversionem à verbo ortum ducere concedunt. Negant tamen cum verbo Spiritum Sanctum dari, ita, ut ubicunque verbum prædicetur, Spiritus Sanctus semper operetur in hominibus conversionem, nisi malitiose resistant: sed per immediatam influentiam in Electis provenire putant; ita ut alia prorsus sit operatio verbi, licet divini; alia Spiritus S. illa mere significativa, hæc fidei productiva: uti supra annotavimus. Probandum ergo tantum nobis est; Spiritum Sanctum cum verbo, lecto vel prædicato, semper & indissolubiliter conjunctum esse, in ordine ad conversionem, quantum est à parte Dei, producendam.

§. 2. Probamus autem 1. Dictis illis scripturæ, quibus in genere effectus natus verbi ad conversionem describitur, qui plane divinus est: Ut quod sit *Potens Rom. 1.*

16, non

16. non me pudet Evangelii Christi, δὲναυις γὰρ θεῶν Ἰη̄ ad salutem omni credenti. & 1. Cor. I. 18. Sermo ille de cruce iis, qui pereunt, stultitia est, iis autem qui servantur, δὲναυις θεῶν Ἰη̄ vers. 21. nam postquam in Dei sapientia mundus non cognovit Deum per sapientiam, placuit Deo per stultitiam predicationis servare credentes. Similiter vide 2. Cor. X. 4. Jac. I. 18. 21. Observandum, in omnibus illis locis agi de externa prædicatione verbi divini per Apostolos peracta, uti cuilibet, textus connexionem inspicienti, evidens est. Externum ergo verbum dicitur esse potentia Dei. Vox potentia, abstractivè posita concretivè intelligenda est, per Emphasin, secundum scripturæ stylum. Sensus ergo est: prædicatione mea est organon valde potens, conjunctionem sibi habens talem vim, cujus proprium est, auditores convertere; neminemque salvari, nisi per hanc prædicationem. Nec est, quòd cum Synodo & Molinao excipias: quod potentia Dei erga electos tantum per illud exeratur. Quia distinguendum inter id, quod per se, & natura sua, salutare est, & inter id quod aliquibus actu in salutem vergit. Verbum Dei omnibus auditoris salutare est, per naturam; Potentia enim Dei dicitur ad omnes in universum. Prout Petrus Job. VI. 68. non sui respectu tantum, sed respectu effectus ordinarii, prædicationem Christi vocabat *verba vite eterne*. Quod autem solis credentibus actu in salutem vergit, fit, quod malitiose non resistent, resistentibus cæteris.

§. 3. 2. Dictis illis, ubi verbum hoc describitur, quod fit Efficax Hebr. IV. vers. 12. *Vivus est sermo Dei, ἡγὼ ἐνεργητικὸς, & penetrantior quovis gladio ancipiti, & pertingit usque ad divisionem animæ simul ac spiritus, compagumque & medullarum.* Et 1. Thess. II. 13. propterea etiam nos gratias agimus Deo, sine intermissione, quod acceptum de Deo sermonem que audistis ex nobis, exceperitis non ut sermonem hominum, sed (sicuti vere est) ut Dei sermonem ὅς ἡγὼ ἐνεργητικὸς ἐν ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν. De verbo externo hic agi, manifestum est. Per efficaciam idem intelligitur, quod in præcedentibus locis per



potentiam. Cum verbo enim talis vis conjuncta est, quæ intrinsecè efficax est ad salutem producendam, Et hîc excipere, quod de electis tantum agant loca, quibus Spiritus Sanctus immediate infunditur, & ita verbum in illis efficax fiat, est manifeste literam torquere. In textu enim nulla infusionis aut restrictionis ad Electos mentio fit.

§. 4. 3. Dictis illis, quæ verbo divinam etiam efficaciam respectu impiorum tribuunt: ut sunt *Joh. XV. 27. Si non venissem, neque prædicassem illis, peccatum non haberent: nunc autem ne prætextum quidem habent.* At quæso nonne prætextum haberent, si vires admittendi voluntatem Dei prædicatione illa revelatam Deus ex mero beneplacito denegasset? *Joh. XVI. 8. Et quum venerit ille, nempe consolator Spir. Sanctus, arguet mundum de peccato, & de Justitia, & de Judicio.* Dices, quid ex inde? non hîc specificatur modus, quomodo Spiritus Sanctus mundum arguet. Resp. non aliter arguit, quam per prædicationem apostolicam: hi enim, quicquid *Spiritus ille veritatis, qui à Patre emanat, illis testatus esset, etiam testari jubentur de Christo. Joh. XV. 26. 27.* prædicatione illorum infideles arguit. *Act. XIII.* Manifestò indiciò, quòd ubicunque verbum prædicatur, semper divinam vim sibi conjunctam habeat. Aliàs infideles peccati arguere, minime sufficiens foret, confer *Heb. IV. 11. 12.* ubi respectu omnium, etiam *contumacium*, dicitur *verbum Dei vivum, efficax, penetrans.*

§. 5. 4. Dictis illis, in quibus verbi efficacia describitur à natura & proprietate sua, abstrahendo qualitatem subjectorum, quibus prædicatur; sive Electi sint, sive reprobi. Sic à natura sua dicitur *semen*; ut ex parabola seminantis ejusque expositione *Marc. IV.* clarum est. *Semen vivificum 1. Petr. I. 23. Regeniti, non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per sermonem Dei vivi, & manentis in æternum.* Sane hæc non respectu subjectorum, sed ratione perfectionis verbi in se spectati intelligi possunt. Dicitur porro *Spiritus & vita. Joh. VI. 63. Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam: verba*
que



quæ ego loquor vobis, Spiritus sunt, & vita sunt. Dicere, hæc verba ea ratione exponenda esse, quia Deus verbo vires occultas inspiret erga eos, quos servare decrevit, est manifeste à scopo textus aberrare; hîc enim absolute dicitur, verba esse Spiritum & vitam: quia vim vivificandi habent, idque respectu omnium, imò Judæorum incredulorum, & discipulorum derelinquentium ipsum. v. 66.

§. 6. 5. Quod si hæc negentur, atque ex more Reformatorum fiat progressus disputandi, eum Enthusiasticis favere, ac semina Enthusiastica spargi, certum est. Nihil enim magis requiritur ad afflatum ipsorum, quam ingestio alicujus sensus in mentem, quem sensum sermo prædicatus ostendat quidem, sed non imprimat ei assensum & affectibus hominis. Si igitur immediatam inspirationem Spiritus Sancti extra verbum statuunt, statuunt & afflatum Dei influentem in mentem hominis &c. & aperte semina Enthusiasticis spargunt. Dices, in Scriptura tamen officium verbi & operatio Spiritus Sancti à se invicem distinguuntur: ut Johannes baptizat aqua. Luc. II. 16. Paulus & Apollo plantant & rigant solum. 1. Cor. III. 5. 6. non Paulus, sed gratia Dei laboravit. 1. Cor. XV. 10. Resp. in dictis illis imbecillitas tantum individuorum ministrantium & medium efficax ad homines applicantium in oppositione ad causam primam & suâ virtute supernaturales effectus producentem, declaratur: Paulum, scilicet, Apollinem, & ministros non indere verbo aliquam efficaciam, sed hanc omnem à Spiritu Sancto provenire. Non vero hîc quæritur de prædicantis, sed de prædicationis efficacia.

§. 7. 6. Adscribam denique quædam adversariorum testimonia, à nostratibus collecta, in quibus illud, quod nos, confitentur. Uti Paræi in judicio ad Synodum Dordracenam misso p. 312. 313. Ubi *Omni prædicationi verbi, gratiam Spiritus Sanctus adjungit, sive prævenientem, sive operantem.* Et quomodo semper verbo conjunctus sit Spiritus Sanctus, peculiari oratione die 8. Martii in synodo habita, demonstravit Johannes Deodatus Theologus Genevensis.

Idem

Idem cum Collegis agnoscit ἀπαύλασμα Spiritus Sancti in omnibus undique in Ecclesia. act. Syn. p. 714. Geldri inquit: nunquam non operatur Spiritus, ubi predicatur verbum. Leidenses censur. in confess. Remonstrantium cap. 17. p. 233. agnoscimus eam vim Spiritus verbo semper conjunctam esse, quæ vel convertat hominem, vel contumaciae suæ eum convincat. Imò adversarii communiter, quando adversus Pontificios de efficacia scripturarum in probanda Θεοπνευσία disputant, contendunt, scripturas non tantum esse significativas objecti, sed etiam vim divinam conjunctam habere ad persuadendum illud objectum auditoribus. Videatur Wittakerus de Scriptura quæst. 3. Chamier panstrat. Tom. I. L6. cap. 5. § 9. Pareus in thesauro biblico ad dictum Heb. IV, 12. Sed satis de hisce. Nec diffitemur, hæc omnia à nobis potuisse præteriri: quia tamen multæ adversariorum ad nostra argumenta exceptiones eo abeunt, ut gratiam per Verbum & gratiam Spiritus sancti divellant, & de priore ajunt, posse ei resisti; de posteriore non item: non abs re fore duximus, si initio monstremus, unam tantum esse gratiam, & Spiritum sanctum non aliter nisi per verbum operari.

CAPUT IV.

Spiritum sanctum non irresistibiliter operari probat.

§. 1.

Progrediendum nunc, ut probetur, verbum, vel Spiritum sanctum cum verbo, tanta vi & efficacia non operari, quin possit resisti. Probamus

Primò Ex dictis illis Scripturæ, quæ supponunt sufficientes vires à Deo acceptas, sed exercitium ex voluntaria malitia suspensum, vel plane denegatum fuisse: ut

Esai V. 8. & præsertim vers. 4. quid ultra faciendum erat vineæ meæ, quod non fecerim ei: cur igitur, me expectante uvæ reddituram, labruscas protulit? Scopus Prophetæ est hîc, taxare



xare Israëlitæ ob maximam resistantiam, quâ factum sit, ut minimè ad fidem perducerentur. Deum describit à benignitate sua, omnia adhibente media, per quæ converti homines potuissent. Ipsos tamen rebellasse, ac operationi divinæ non paruisse.

§. 2. Excipiunt primò: Prophetam hîc nulla, nisi externa tantùm, media exprimere, quæ Deus circa vineam suam adhibuerit; ut quòd eam in loco optimo plantaverit, turrim & torcular in ea exstruxerit, à lapidibus purgaverit; non autem dicat, quòd pluvia eam rigaverit, aut solem super ea oriri fecerit, quæ propriè fructus ex vinea eliciunt, & internæ gratiæ, quâ Deus hominem convertit, analogæ sunt. Resp. verba hæc: *Quid ultra faciendum erat vineæ meæ, quod non fecerim ei?* generalia sunt, & manifestè ostendunt, ita præstita esse omnia, ut nihil amplius requiri posset vineæ huic ad edendos fructus; frustra siquidem aliàs tam patheticè rogaret Deus; cum responderi posset, hæc vel illa media non adhibita fuisse. Imò frustra expectasset Deus fructus, cum sciret, à seipso denegata fuisse quædam ex his, quæ requirebantur, & quibus non præstitis impossibile fuerit, ut vinea fructus proferret. Quod ad solem & pluviam attinet, hæc non recenset Deus, quia omnibus vineis æque ac agris communes sunt; sed præsupponit hoc, & tantum mentionem facit illorum, quæ vel tollebant impedimenta, quo minus sol & pluvia possent effectus suos sortiri, ut quòd eam à lapidibus purgaverit, vel aliàs curam singularem & admirandam in ordine ad hunc finem, à parte possessoris vineæ gerendam declarant. Adde quòd *vers. 6.* pro pœna hoc quoque computatur, quòd *nubibus interdicturus sit, quò minus pluviam in eam depluant,* quæ non posset interdici, si antea non adfuerit. Excipiunt secundo: quòd gratia Dei suffecerit quidem, ut, si bona esset vinea, fructus ex ea boni elicerentur; non verò ut è mala in bonam mutaretur. Resp. Frivola est hæc exceptio. Considerat enim Deus Judæos, non in statu integro, sed corrupto, qui jam per peccatū originis à

C

Deo

Deo alienati erant, ac de his dicit: *quid est, quod ultra debui facere vineæ meæ?* Si itaq; gratia hæc corruptionem hanc tollere non potuit, minimè sufficiens dici potuit ad conversionem populi hujus efficiendam, qualis tamen fuisse dicitur à Deo. Alii excipiunt *tertio*: verba hæc: *quid ultra faciendum erat vineæ meæ?* non esse verba inquirentis, quid ulterius faciendum restaret, ut ex vinea boni elicerentur fructus; sed deliberantis, quid in posterum vineæ suæ factururus esset, quia fructus non protulit; nimirum illam diruturus & puniurus, aut ex verbis *versûs sequentis* patet: *Et nunc ostendam vobis ipsis, quidnam factururus sum vineæ meæ; tollam sepem ejus &c.* Sed quis quæso hîc non videt, manifestam textûs contorsionem? Non loquitur enim Deus de tempore futuro, quid factururus sit, sed præterito, quid ultra faciendum erat. Injusta enim querela foret, si Deus nosset, in defectu gratiæ aliter non posse, quin labruscas proferret, & tamen quæret, cur non uvas protulerit? Quod ad pœnam attinet, quam postea venturam decrevit, ea à malitia vineæ oriebatur; in qua sufficienter Deus operatus fuit, ut posset uvas proferre, cum tamen nil nisi labruscas protulerit. Sed rursus alii *quarto* excipiunt: Locum hunc de beneficiis à Christo ecclesiæ præstitis in communi agere, non autem de beneficio, quod singulis membris singulatim præstatur. Resp. locum hunc non de statu ecclesiæ in novo testamento agere, contextus evidenter ostendit. Postquam enim Propheta parabolam vineæ Judæis explicasset, incipit in specie arguere Israëlitas variorum peccatorum. *vers. 8. 11. 18. 20. &c.* ac inter horum peccatorum pœnas inter alia recenset *vers. 13. quod ideo in captivitatem abibit populus, ubi inclytæ ejus fame macerantur, & multitudo ejus siti aret.* Non ergo de regno Christi intelligi hæc debent. Imo posito, intelligi debere, stabit eodem modo firmum nostrum argumentum. Distinctio illa, quam adferunt, inter beneficia Christi ecclesiæ in communi præstita, & inter beneficium singulare electis præstitum, petit id, quod est in principio: videlicet ficta est
ab ab-



ab absoluti decreti patronis, in Scriptura fundamentum non habet. Electi enim singulare beneficium præ reprobis in prima conversione non accipiunt, quantum est à parte Dei, & quod ab ipsa actuali conversione distinguatur. Quamvis itaque reprobi forte non convertantur, conversis electis; non tamen ideò id fit, quòd Deus à sua parte illis deneget beneficium singulare ad conversionem necessarium, quod solis electis concedat; sed quòd beneficia eadem repudiant aut repellunt reprobi, quæ non repudiant electi. Alii denique quinto excipiunt: Verba hæc esse parabolam, & ex omnibus parabolæ circumstantiis non licere argumentari. Resp. vera hæc quidem esse: quia tamen explicationem ejus, de populo nempe Israëlitico, statim subjungit Propheta, *vers. 7. Vineam Domini exercituum domus Israël est, & vir Juda germen ejus delectabile, & expectavi, ut faceret judicium, & ecce iniquitas; & justitiam, & ecce clamor;* atque ita his omnia illa Deus ipse applicat: licet utique ex ea, imò scopo ipso parabolæ, argumentari, & rationem operationis gratiæ divinæ ex ea deducere. Sed satis de hoc dicto.

§. 3. Sequitur (2) dictum *Ezech. III, 6. 7. Non ad populos multos, (Ego, Jehova, te mitto) ignotò utentes sermone, & impedita lingua, quorum non intelliges verba. Nonne si ad eos mitterem te, ipsi auscultaturi essent tibi? Domus Israëlis verò nolunt auscultare tibi, cum nolunt auscultare mihi: nam tota domus Israëlis obfirmata fronte & durò corde sunt. Et vers. 9. quia domus exasperans est.* Indicat hîc Deus, Israëlitas tantas habere vires, quantas si haberent gentes exteræ, obedituræ essent; ideòque non impotentiam, sed rebellionem in causa esse quod non obediant. Excipiunt hîc, sermonem esse, de naturali resistantia. Resp. Textus manifestè ostendit, non de naturali, sed de malitiosa resistantia hic sermonem esse; quia in hoc tertio à gentibus distinguuntur. Nec favet exceptioni phrasim, *nolle אבא א non velle, non cupere*, quia non naturalem, sed proæreticam, displicentiam denotat, uti in *Exod. X, 3. 4. 27. Deut. II, 30. cap. I, 26. Prov. I, 25. II. Sam. II, 31. cap. XII, 17. Jud. XI, 17. cap. XIX, 10.*

II. Sam. XIII, 14. 16. 25. cap. XIV, 29. & innumeris aliis videre est. Eodem modo res sese habet cum phrasi illa קָרִיב לֵב וְקָשִׁיב רִגִידָא fronte & duro corde: verba enim hæc, ac speciatim vox קָשִׁיב proprietate suâ, rigidam pertinaciam denotant, quæ vitari non solum poterat, sed maximè debebat. Confer Ezech. II, 4. Deut. XXVI, 6. I. Sam. XXV, 3. Genes. XLIX, 7. Exod. XIII, 15. &c.

§. 4. Accedit (3) locus Ezech. XII, 2. *Fili hominis, in medio domus rebellis tu habitas, qui oculos habent ad videndum, & non vident: Aures habent ad audiendum, sed non audiunt; quia Domus rebellis est.* Ubi manifestè apparet, causam intermissi à Judæis officii, seu quòd non commodarunt dictis Dei assensum, neque mandatis obsequium; in ejusmodi resistantia eorum collocari, quâ ipsi, Deò id omne præstante, quod à sua parte præstandum erat, nihilominus aliter sese gererent, quàm voluntas Dei gratiosa ferebat: & quamquam Deus dederit ipsis per gratiam prævenientem vires quasdam spirituales, quibus porro uti deberent ad perficiendum conversionis opus; ipsi tamen eas vires in se suffocaverint, certè uti illis noluerint, atque ita acciderit, ut non viderent, & non audirent. Excipiunt adversarii, per oculos & aures hoc in loco non intelligi gratiam regenerantem, sed quòd tantum de veritate doctrinæ Prophetarum in corde suo convicti sint, etsi vires ad faciendum officium suum non haberent. Resp. Inane hoc est effugium: explicent quæso, quomodo rebellionis justè possint accusari, ac tam graviter puniri, uti minatur Deus *vers. 11. seqq.* cum nulla alia facultas ipsis collata sit, nisi intelligendi, verba Prophetæ vera esse. Non opinor negare audent, quòd duo imprimis obstacula in homine non regenito inveniuntur, quò minus ad conversionem seu regenerationem perducatur; Intellectus nempe cæcitas, & voluntatis pravitas. Ut itaq; convertatur homo, necesse esse, ut ad duo illa obstacula removenda Deus, quòd suum est, conferat: unò enim tantummodò remotò, sufficiens remedium non adhibitum est. Si ergò

ergò in populo Israëlitico intellectus cœcitate tantùm remota, denegatæ tamen à Deo & ex mero beneplacito fuerint vires ad voluntatis malitiam tollendam idoneæ, non possent ipsi dici *nolle videre*, & *nolle audire*, nec rebellionis accusari ac graviter puniri. Adde, quòd Calviniani aliàs communiter per *oculos* & *aures* gratiam regenerantem intelligant, ut cum *Deut. XXIX. 4.* dicitur, *non dedit Dominus vobis cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ possunt audire, usque ad præsentem diem. & Apoc. II. & III. passim: qui aures habent ad audiendum, audiant: de quorum interpretatione vide nostrates passim.*

§. 5. Succedit (4) locus *Psal. LXXXI. 11-15.* & imprimis *vers. 12. Sed non auscultavit populus meus voci meæ, & Israël non acquievit mihi. vers. 14. O si populus meus auscultasset mihi, & Israëlita in viis meis ambulassent.* Excipiunt, hîc non agi de resistentia regenerationis, seu quæ fit vocationi internæ, sed verbis hîc Deum conqueri de inobedientia populi sui, quòd legem non observaverit, & propter illam inobedientiam dicere, se dimisisse illos, ambulaturos ex sententia animi sui. Resp. verum hoc, quòd populus vocem sive verbum Dei rejecerit, & idolorum cultu sese mancipaverit: quæ etiam Causa est, quod tanta mala perpeffus sit. Interim tamen verbum hoc, ubi prædicatur, sibi semper conjunctam habet virtutem Spiritus Sancti, uti ante ostendimus. Spreto ergo verbo hoc, & operatio Spiritus Sancti spernitur. Quis vero non videt, exceptionem hanc fundari in distinctione operationis Spiritus ab operatione verbi? Quia vero in præcedentibus de illa egimus, non opus ut actum hic agamus.

§. 6. Addimus (5) verba Christi *Matth. XI. 21. 22. 23. Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethsaida! Nam si Tyri & Sidone editæ fuissent virtutes, quæ editæ sunt apud vos, olim cum sacco & cinere pœnitentiam egissent. Quin etiam dico vobis, terre Sodomorum tolerabilius erit in die judicii, quam vobis. Quid clarius quàm hoc? Dicitur de incolis Chorazin & Bethsaida,*

da, quòd tantam acceperint gratiam, quam si incolæ Tyri & Sidonis accepissent, conversi fuissent. Loquitur ergo de gratia vera conversionis, quam respuerunt. Excipiunt, locutionem esse hyperbolicam, quæ non innuat, quid à Tyriis factum fuisset, sed horum hominum malitiam & improbitatem tantum exaggeret, exemplo sumpto à gravissimis peccatoribus; perinde ac si aliquis dicat: ipsi parietes loquerentur. Resp. exceptioni huic textus manifeste repugnat: concludit enim Christus orationem suam hisce verbis: *Verum tamen dico vobis, Tyriis & Sidoniis tolerabilius erit in die iudicii, quam vobis.* Dicitur hoc de mitiori pœna illis infligenda, quia conversi fuissent, si signa hæc in iis facta fuissent; sanè hyperbolen istam non admittit: sed est assertio pathetica, directa ad homines maxime contumaces, quorum malitia cum aliorum indole comparatur. *Secundo* excipiunt, non loqui Dominum de resipiscentia vera & salutari, qua animus immutatur; sed de pœnitentia tantum externa, quæ in sacco & cinere, signis tantum externis, ostendebatur. Resp. talis intelligitur pœnitentia, quam Jesus à Judæis optabat, & maxime desiderabat: signa autem pœnitentiæ tantum externa desiderasse, injuriosum adversus Deum dictum est. Imo ratione illius resipiscentiæ, quam Tyrii & Sydonii præstituri essent, si signa hæc in illis facta fuissent, pœna mitior illis dicitur; at externa tantum resipiscentiæ signa, corde manente impœnitente, pœnam mitigare nequeunt. Adde quod vocabulum *μετάνοειν* quod hîc in textu extat, vel ex ipsa vi vocis non aliter accipiatur, quàm de pœnitentia interna.

§. 7. Accedat (6) locus *Matth. XXII. 3. seqq. vers. 3. Et misit servos suos, qui vocarent vocatos ad nuptias; sed noluerunt venire. & vers. 5. illi autem cum hoc neglexerunt, abierunt. Similiter vers. 12. Amice quomodo hîc introisti, non habens vestem nuptialem? at ille obmutuit.* Ex antecedentibus repetendum, quòd ubicumque verbum Dei prædicatur, semper conjunctam habeat virtutem Spiritus Sancti



Sancti, qui intellectum flectit, ut verbo divino credamus, & voluntatem, ut ei obediamus; quod quia illic probatum, hic supponendum est. Dicimus ergo, per parabolam hanc repræsentari primo divinam bonitatem & beneficentiam erga populum Judaicum; ipsorum vero malitiosam resistantiam & contumaciam erga Deum. Deinde bonitatem Dei eandem erga gentiles, & horum obedientiam, verbo quidem divino externam à pluribus; internam vero à paucioribus præstitam, quia quidam ex illis hypocritæ: quod similitudine vestis nuptialis v. 12. indicari autumo. Manifestum ergo est indicium, quod possit divinæ operationi per verbum resisti. Nec est quod excipiant: hominum illorum resistantiam minime spectare gratiam interiorem. Quis enim Dei timens, animo concipere hinc poterit Deum vocantem spiritualis epuli convivas, & instantem ac jubentem venire; quorum tamen voluntatem ipse arcano flexu determinet ad nolum venire? aut deneget gratiam, per quam solam possint velle venire? Similiter nihil est, quod excipitur; eum, qui indignus conviva accessit, talem comparuisse, quia Deus ex absoluto decreto noluerit hunc veste nuptiali, hoc est, fide & charitate donare. Resp. Non jam disputabimus, quid per vestem nuptialem hoc loco intelligatur; sed posito, per hanc fidem & charitatem intelligi, dicimus utique, non in hominis potestate esse, se ipsum veste nuptiali induere, sed hoc omne à gratia divina proficisci: interim tamen repugnare textui, hominem hunc ex absoluto decreto veste nuptiali privatum. Sane gratia hæc, quæ in aliis convivis sufficiens fuit, & in ipso sufficiens fuit. Nullibi enim constat, majorem aliis, præ hoc, collatam esse gratiam. Quod ergo in ipso effectum suum non sortita est, non aliunde provenit, quàm ex propria malitia, qua divinæ operationi resistit. Imò quid aliàs opus habuerit obmutescere, cum respondere potuisset, se non accepisse vires sufficientes ad induendum vestem nuptialem.

§. 8. Eodem (7) omnino spectat locus *Matth. XXIII. 37.*

Jeru-



Jerusalem Jerusalem, quæ occidis prophetas & lapidas eos, qui ad te missi sunt. quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas? & noluisti. Ellipsis est in voce *voluisti*, supplenda ex proxime præcedentibus hoc modo: sed noluistis, ut vos congregarem. En hic sermone Domini nostri Jesu affectum, in convertendis Judæis! non semel aut bis adhibere voluit media conversionis, sed sæpius: quoties, ait, volui vos congregare: non mediis insufficientibus aut inefficacibus, sed maxime sufficientibus: atque efficacibus; ut gallina congregat pullos suos sub alas. Ipsos autem noluisse congregari, & ad Dominum converti. Excipiunt primo: per verba illa: quoties volui congregare &c. non intelligi vocationem internam sive regenerationis; sed externam tantum operationem, quâ Christus tanquam propheta ostendat, quid illi deberent facere. Resp. in præcedentibus jam ostensum est, vocationem internam ab externa minime esse separandam; sed unam tantum esse vocationem, & externæ vocationi Spiritus Sancti intentionem semper esse conjungendam. Concedimus ergo hoc in loco Christum respexisse ad doctrinam suam & miracula; quia tamen hisce operatio Spiritus Sancti semper conjuncta fuit, impium foret dicere, non destinatam fuisse ad salutem incolarum Hierosolymæ. Excipiunt secundo: quod Christus hæc solummodo loquatur secundum naturam suam humanam, tanquam propheta à Deo missus, ut omnes homines ad salutem vocaret; non verò secundum naturam divinam, secundum quam ipsos nunquam gratiæ efficacis participes fieri decreverit. Resp. admodum inutilis est hæc exceptio, & veritati quam maxime contraria. Statuendæ essent duæ voluntates in Christo sibi invicem oppositæ, quod maxime indecorum ac minimè pium est. Imò sinceritati ejus repugnat, ut secundum naturam humanam conqueratur de populi inobedientia, quam tamen secundum divinam naturam voluerit existere: simulata namque foret tota hæc querela, quod impium, & totam nostram
certi-



certitudinem fidei tollere. Excipiunt *tertio*: per *Jerusalem* non intelligendos esse omnes habitatores *Jerusalem*, sed principes & Seniores populi: *filios* autem significare plebem; atque ex plebe dominum plures congregasse, licet primores omni vi obstiterint, quo minus aliqui ex plebe ad Christum congregarentur. Resp. per *Jerusalem*, & per *filios* ejus unum intelligitur, tota nempe civitas imò gens *Judæorum*; ad majorem vero emphasin exprimendam, duobus hisce nominibus à Christo nuncupari: qui modus loquendi in scriptura frequentissimus est. Ac voces hæc *Jerusalem* & *fili* *Jerusalem* non aliter in scriptura accipiuntur, quam de civibus *Jerusalem*. De voce *Jerusalem* vide *Jerem. II. 2. Cap. IV. 5. 14. Cap. VI. 8. Cap. XIII. 9. Lament. I. 8.* eodem modo *fili* *Jerusalem*, *filia Sion*, quæ æquipollentes sunt. *2. Reg. XIX. 21. Esai. XXXVII. 27. 2. Paral. XXIX. 10. Lament. II. 10. 13. 15. Cap. IV. 2.* nec ullus in contrarium locus proferri potest, ubi per *Jerusalem* principes & seniores; per *filios* vero plebs tantum intelligatur. Et positò, loca inveniri, circumstantiæ tamen hujus textus non admittunt, ut hoc dictum sic accipiatur: quia verba hæc continent rationem, cur toti populo gravissimum destinatum sit excidium, *v. 36. 38.* à quo nec plebs, nec primates exempti fuerunt. Deinde de *Jerusalem* dicitur, *lapidasse eos, qui ad illos erant missi.* Prophetæ vero missi sunt tam ad primores, quam ad totam plebem: aliàs hac ratione Deus nullos ex primatibus voluisset congregare, quod est contra textum ipsum.

§. 9. Rursus (8) huc faciunt verba *Act. VI. 51. Vos semper resistitis spiritui illi sancto, sicut Patres vestri, ita & vos.* Ut hujus tam manifesti loci vim effugiant, Excipiunt: locum solummodo agere de irrogenitis, qui possunt Spiritui Sancto resistere. Resp. hæc exceptio se ipsam evertit: per irrogenitos enim reprobos intelligunt, in his vero Spiritum Sanctum nunquam intendisse fidem efficere, volunt: Si ergo Spiritus Sanctus nunquam seriò intendit operari in
D illis,



illis, quomodo possunt dici resistere Spiritui Sancto? Dicunt, resistere Spiritui Sancto non regeneranti, sed vocanti. Resp. itidem hinc proprio sese jugulant gladio. Quia enim actionem Spiritus Sancti ab actione verbi distinguunt, necesse habent vel hinc talem Spiritus Sancti actionem intelligere: in textu enim extat: *vos resistitis Spiritui Sancto*, non vos resistitis actioni verbi externi: vel nobiscum fatendum, Spiritum Sanctum cum verbo operari. Dicunt alii: restiterunt, quantum in ipsis fuit, Spiritui Sancto intendenti fidem in aliis efficere, trucidando scilicet eos, qui missi, & acti fuerunt à Spiritu Sancto, ut veritatem hominibus prædicarent. & in hoc restiterunt ipsi Spiritui Sancto, quando de prædicationis veritate à Stephano convicti, animo tamen obfirmato, noluerunt veritatem admittere; & ita oculis animi apertis non videre. Consequens autem hujus contumaciæ, fuit persecutio apostolorum: quando Judæi veritatem nolentes agnoscere, alios ad veritatem perducere non sinebant.

§. 10. Addimus (9) Assertionem Evangelistæ Luc. VII. 30. *Pharisæi vero & legis interpretes consilium Dei spreverunt adversus semet ipsos, non baptizati ab eo.* Consilium Dei fuit, ut Pharisæi & scribæ resipiscerent, & gratiæ per baptismum, ut medium regenerationis, participes redderentur; ipsi vero dicuntur noluisse; sed consilium illud Dei sprevisse, & gratiæ, quâ illos converti intendebat, restitisse. Nec est, quod hinc anxii simus, cum adversariis inquirendo, quid per *consilium Dei* intelligatur: an affectus benevolentia? an vero voluntas quædam conditionata? quia utrumque intelligendum: prius quidem, quia Johannem, cujus missio illius affectus fuit effectum, rejecerunt. Posterius, quia si resipiscerent, & Johannis baptismo tingerentur, voluisset Deus porro illos ad salutem perducere.

§. 11. Nec prætereunda sunt (10) verba Christi apud Job. V. 34. *hec dico vobis, ut salvemini. vers. 40. sed non vultis*



tis venire ad me, ut vitam habeatis. Intentio Christi fuit hîc, Judæos ad salutem perducere; media sufficientia adhibet doctrinâ suâ: ipsi verò venire nolentes, ea respuerunt. Excipiunt, quod Christus, etsi dicat, salutem Judæorum à se pendere; non tamen dicat se efficaciter velle illorum salutem; sed, si inter illos essent aliqui, vocem ipsius audituri. *R.* explicatio hæc manifestè textui repugnat, non enim dicit, se hæc dixisse ad salutem electorum, sed in salutem eorum, qui ad ipsum venire volebant, ut vitam haberent: uti verba expresse se habent. Alii excipiunt, hîc tantùm exprimi intentionem Christi, ut hominis concionantis; non autem intentionem Dei. *Resp.* Christo summe injuriosum est, adscribere intentionem, intentioni divinæ contrariam; cum in mundum venerit, ut voluntatem divinam hominibus patefaceret, uti ipse multoties expresse monet.

§. 12. Denique huc referimus verba Dei, *Esaie LXV, 2. 3.* *Expandi manus meas tota die ad populum perversum, qui gradiuntur per viam non bonam, post cogitationes suas, ad populum inquam, qui irasci faciunt me, in faciem meam semper. Similiter, cap. LXVI, 4.* *quæ timebant adducam eis; quia vocavi, & non erant, qui responderent, locutus sum, & non audierunt, feceruntque malum in oculis meis, & quæ nolui elegerunt.* vide *Jerem. VII, 13. Prov. I, 24. 25. 26.* Observandum, in locis hisce Deum graviter conqueri de resistantia populi sui. Omnia quidem, quæ ab ipso possunt requiri, fecisse: *extendisse manus, vocasse, locutum fuisse;* populum tamen hæc omnia rejecisse, & contemptui habuisse. Firmum ergò manet, Spiritum sanctum cum verbo non ita operari, quin possit malitiosè resisti.

§. 13. Hisce manifestis scripturæ dictis adjungimus *Secundo* Rationes has *I.* Si ad hominis conversionem talis operatio irresistibilis requiritur, frustranea sunt omnia monita, suasiones, & vota Dei, ut verbo obediamus; & quidem sub promisso præmii. Similiter & comminationes gravissimæ pænæ pro verbi contemptoribus. Quorsum enim

hisce opus habet Deus, cum ipse in homine, virtute irresistibili, conversionem facere velit? Quis sapiens requirat aliquid ab homine, quod in ipso ita facturus est, ut is, in quem actio alterius tendit, repugnare non possit? Monere autem Deum, patet ex *Actor. III, 19. respicite & convertimini, ut deleantur peccata vestra. Heb. III, 7. hodie, si vocem eius audiveritis, ne indurate corda vestra. vide Rom. XII, 2. Ephes. V, 14. Suadere dicitur Apoc. III, 81. suadeo tibi ut à me emas aurum igne probatum &c. Vovere Deum, optare, & orare, patet ex Deut. V, 29. Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me & custodiant universa mandata mea in omni tempore; ut bene sit illis & filiis illorum in sempiternum. Psal. LXXXI, 14. Si populus meus audisset me; si Israel in viis meis ambulasset. II. Corinth. V, 20. pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo obsecrante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. conf. Luc. XIX, 42. Verbi contemtoribus gravissimas pœnas comminari Deum, legimus II. Thess. I, 8. cum igne flammante infliget astionem iis, qui Deum nesciunt neque auscultant Evangelio Domini nostri Jesu Christi. Et cap. II, 2. Eò quòd Charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent; ideo mittet illis Deus efficaciam erroris, ut credant mendacio. vide Prov. I, 24. 25. 26. Job. III, 19. Autumant tamen, hæc omnia cum insuperabili Dei actione consistere posse: quemadmodum enim, ajunt, Deus Lazarum excitaturus, præcipit illi: Lazare exi foras, Job XI, 43. cum tamen Lazarus nil omninò resistere potuerit; ita & hic. R. Non huc quadrat exemplum Lazari: in quo nullum monitum, suasio aut votum, ut præcepto divino Lazarus obediat; sed imperium voluntatis absolutæ quo omnia effecta reddit: eodem modo ut in prima creatione, fiat, &c. Unde quamvis imperativo modo efferatur, non tamen est monitum, suasio, aut præceptum proprie dictum; quia hoc semper includit vim resistendi: sed indicatur, eam esse potentia Dei magnitudinem, ut effectus stupendi ad nutum ejus præsto sint & videantur. Quid hoc ad præsens?*

II. Si



II. Si hypothesis illa de irresistibilitate, firma maneret, admittendū illud foret; quod nonnullis materia suppeditaretur ad securitatem, contemptum & fastidium mediolorum, quæ Deus adhibere solet ad gignendam efficiendamque in homine conversionem. Nam si ante vim ejusmodi irresistibilem nemo se convertere potest, & simul atque irresistibiliter trahitur, eum profus converti necesse est; jam irrita erit, atque inutilis omnis cura nostra atque sollicitudo. Aliis verò ansa suppeditabitur perpetuarum dubitationum, quamdiu ipsi talem vim non sentiunt. Nam cum vocantur à Deo ad salutem, necesse est eos dubitare, (saltem antequam se conversos esse à posteriori possunt cognoscere,) anne vocentur cum certa salvandi & convertendi intentione ex parte Dei? Denique quando, ad extremum usque vitæ habitum non senserunt efficacem atque irresistibilem vim, datur ipsis occasio desperandi. Sic enim concludent: qui salvi futuri sunt, convertuntur per vim irresistibilem. Ego vero per vim ejusmodi conversus non sum. E. Atque ita porta perpetuarum dubitationum aperitur.

CAPUT V.

Argumenta adversariorum examinat.

§. 1.

HActenus argumenta pro nostra thesi attulimus, eamque sufficienter putamus adstruxisse. Progredimur nunc, examinaturi argumenta, quibus adversarii suam sententiam adstruere, nostra verò impugnare solent. Mira sanè eorum industria in cumulandis scripturæ locis, quæ pro parte sua facere putant. Vide *Collocutores Hagienses* art. 4. *Molinæum in anat. Armin. cap. 46.* Omnia redigit in compendium *Paréus in consilio Dordracenis* misso p. 314. *et. seqq.*

§. 2. Prima Classis sumitur ab illis scripturæ phrasibus, quibus status hominum ante conversionem describitur;

D 3

quæ

quæ omnes omnimodam hominum impotentiam ad conversionem designant, quam putant non nisi per insuperabilem Dei operationem posse tolli: ut quod tunc temporis homines dicantur *mortui in peccatis*, *Ephes. II, 1. Cæci. Luc. IV, 18. tenebræ. Matth. VI, 23. Job. I, 5. arbor mala. Matth. VII, 18. cap. XII, 33. Servi peccati. Rom. VI, 17. Caro, quæ non possit se subicere legi Dei, Rom. VIII. Animales. I. Corinth. II, 14. nihil posse ex se ipsis, velut ex se ipsis. II. Cor. III, 5.*

§. 3. Secunda classis continet illa scripturæ loca, quibus actio Dei, hominem convertentis, (describitur; ubi actionem designare credunt plane insuperabilem: ut quod *creet & faciat cor novum. Ezech. XXXVI, 26. quod hominem regeneret, I. Pet. I, 3. excitet è mortuis. Ephes. II, 6. vivificet, ibid. illuminet, Job. I, 9. det resipiscentiam & fidem, act. XVI, 14. circumcidat, Deut. XXX, 6. trahat, Job. VI, 44. operetur velle & perficere secundum beneplacitum suum. Phil. II, 13. agat in nobis, qui credimus, pro efficacia fortis roboris ipsius. Ephes. I, 19.*

§. 4. Ad quæ dicta, priusquam respondeamus, in genere monemus: primò ineptè agere adversarios, quod similitudines & figuratas locutiones velint secundum omnes circumstantias applicare. Notum deberet ipsis esse vulgarissimum illud: simile non est extendendum extra suum tertium, alias fit dissimile; quæ regula nisi observetur, in varia incommoda prolabi necesse est, ex. gr. creatio, proprie loquendo, notat productionem rei per se subsistentis. Si ergò locum *Psal. LI, 12. cor mundum crea in me Domine*, vellent rigidè secundum omnes circumstantias applicare, sequeretur, Psalmisten rogasse Deum, ut cor illud, quod possidebat, auferret; & planè novum secundum substantiam in ipso produceret, quod profectò absurdum. Ad rectam ergò figuratarum locutionum intelligentiam ante omnia scopus auctoris investigandus est; & conferenda sunt talia scripturæ dicta, ubi absque tropo loquitur: nec ultra scopum auctoris simile est extendendum, alias fit dissimile. Secundo monendum duximus, adversarios plerisque argumen-



mentationibus nihil contra nos concludere. Conceditur enim à nostratibus hominis irrogeniti ad spiritualem suam conversionem maxima impotentia; quodque ideò conversio tota à gratia divina ortum trahat. Sed quærunt de modo operationis, an gratia divina agat irresistibiliter? an resistibiliter? Proferre ergò deberent talia scripturæ dicta, quibus apodictice irresistibilitas posset probari. Sed inspiciamus singula.

§. 5. Argumentum, quod ex similitudine *Mortui* proferunt, sic se habet. Sicut homo mortuus non potest resistere operationi divinæ, dum eum ad vitam revocat; ita fieri non potest, ut homo resistat operationi divinæ, dum eum Spiritus Dei regenerat. quia nos spiritualiter mortui sumus. Resp. non attenditur comparationis tertium; quod nequaquam est irresistibilitas, sed impotentia virium, cujus ratione in textu quibusdam & aliis scripturæ dictis instituitur comparatio: sicut is, qui ex mortuis suscitatur, nihil de suo confert; ita peccator, qui sub dominio peccati & reatu æternæ mortis jacet, nihil de suo confert, quò à peccati dominio liberari, & in certam æternæ vitæ spem restitui possit. Ulterius non est extendenda hæc similitudo, & ut ulterius extendatur, non sinunt infinita, quæ secutura sunt, incommoda. Inprimis hoc, quòd non solum analogia aliorum scripturæ locorum eorumque clarissimorum obstat; sed & alioquin tota ratio divinæ præceptionis, sancita promissis & minis, funditus everteretur. Nec est, quod regerant; adferendo exemplum Lazari, quia nihil ad rem facere, supra ostensum: non enim est præceptum propriè dictum, sed omnipotens Dei verbum, quò significabat, non quid à Lazaro fieri, sed quid ipse facere vellet.

§. 6. Ex dictis illis, in quibus homines ante conversionem dicuntur *Ceci*, *Luc. IV. v. 18. in Tenebris. Matth. VI, 23. Job. 1, 5.* ut ergò convertantur, opus esse ut *illuminentur*, *Job. 1, 9.* ne minimum quidem contra nos potest concludi. Per hæc omnia enim, in sensu figurato, intelligitur ignorantia rerum

287



rerum divinarum & spiritualium. At nos etiam defendimus, quod homo irrogenitus nullam habeat cognitionem rerum divinarum, sed opus fit, ut gratiâ divinâ illumine- tur: exinde tamen minimè sequitur, requiri vim irresistibilem, ut cæcitas illa spiritualis tollatur: quis hoc colliget ex phrasibus istis? contrarium colligendum liquet, quia omnis illuminatio fit per verbum Dei, quod est *lampas pedibus nostris* & *lumen semitæ nostræ*. *Psal. CXIX, 105.* quatenus scilicet, homini revelatum, ignorantia tenebras dispellit, hominemque ad fidem sufficienter instruit. Atqui verbum hoc non irresistibiliter operatur.

§. 7. Similitudo ab *arbore mala* desumpta ex *Matth. VII, 18. cap. XII, 33.* huc non quadrat. Non enim loquitur Christus, in locis hisce, de statu irrogeniti aut regeniti, sed similitudine hac nihil aliud vult indicare, quam facta externa indicare probitatem vel malignitatem animi: ex animo malo, ait Dominus, impossibile est, ut bona opera proveniant; ex animo è contra bono impossibile ut mala proveniant opera. Ac in priori loco, hoc pro indicio ponit contra impostores & falsos Prophetas, qui, licet veniant cum vestimentis ovium, revera tamen oves non sint; sed lupi rapaces, id quod ex operibus illorum fit conspicuum. In altero loco ait Christus: se non mirari, quod Pharisei perverse de se loquantur ac judicent, quia perverso sint animo, & ex abundantia cordis illorum os loquatur. Si quis tamen per analogiam velit similitudinem hanc applicari statui irrogenitorum, qui nulla vere bona opera præstare possint, per nos licet; non poterit tamen ex illa vel minimum hauriri, quod pro vi irresistibili in opere conversionis quicquam faciat.

§. 8. Ex phrasi hac, quod homines ante conversionem vocentur *servi peccati*, *Rom. VI, 20.* sic concludunt: sicut servi, qui sunt in dominorum potestate, se ipsos è servitute liberare nequeunt, ita etiam servos peccati, ex se ipsis peccati dominium excutere non posse, sed opus esse, ut *trahantur à Patre. Joh. VII, 44.* Resp. & nos docemus, neminem ex se ipso

ipso peccati jugum posse abjicere; sed gratiam divinam requiri, qua ex statu peccaminoso in statum libertatis transferatur; Minime tamen hoc sententiæ adversariorum favet, quia huic gratiæ potest resisti: uti antea probatum. Nec locus *Joh. VI. vers. 44.* agit de modo trahendi irresistibili; sed de necessitate tractus, uti contextus manifeste evincit. Reprehendit enim Christus Judæos, quod ad ipsum non venirent, seu in ipsum non crederent: si ergo diceret, neminem in se posse credere, nisi pater vi irresistibili illum trahat, ridicula esset reprehensio: quod absurdum.

§. 9. Dicta illa, in quibus homo irrogenitus describitur, quod sit *caro, quæ non possit se subicere legi Dei. Rom. VIII. 7. animalis, neque capax eorum, quæ sunt Spiritus Dei &c. I. Cor. II. 14.* cui è contra DEUS in conversione det novum cor. *Ezech. XXXVI. 26. legem inscribat cordi. Jerem. XXXI. 31. cor aperiatur. Act. XVI. 14. circumcidat, Deut. XXX. 6.* & quæ similia sunt; non probant, quod in quæstione est: agunt enim omnia de necessitate gratiæ divinæ in conversione. At hæc à nostratibus conceditur: modum operationis gratiæ illius deberent probare. Nec est, quod nudas phrasés urgeant: quia dicta hæc non possunt ad id, quo adversarii intendunt, applicari. *Datio enim novi cordis, æquè atque inscriptio legis in cordibus;* quoad rem nihil aliud est, quam operatio verbi divini clarè propositi, cum quo Spiritus Sanctus sua virtute pariter & agendi intentione indissolubiler conjunctus est. *Apertio cordis Lydia,* similiter effectum prædicationis apostolicæ in pia illa fœmina indicat. *Circumcisio cordis,* de qua *Deut. XXX.* mentio fit, non alia est, quàm gratiæ sufficientis operatio, qua verbo divino possint obedire; uti contextus clarissime ostendit. Nil ergo ex hoc concludi potest.

§. 10. Circa dicta *2. Cor. III. 5. non quod idonei simus ex nobis ipsis, ad cogitandum quicquam, velut ex nobis ipsis: & Phil. II. 13. Deus est qui efficit in vobis, & ipsum velle, & ipsum agere, secundum beneplacitum suum;* observandum: &

E

quidem



quidem circa primum locum; quod ex mente quorundam interpretum, secundum litteram Apostolus loquatur de munere suo Apostolico, per quod Corinthios ad fidem perduxerat, ac de hoc munere dicat, se nihil idonei potuisse invenire, quod aptum esset ad Corinthiorum conversionem promovendam; sed hæc omnia à speciali divina revelatione dependere: uti textus connexio manifeste ostendit. Quamquam verò hoc suo modo etiam in opere conversionis locum habere rectè dicatur; (quemadmodum & nostrates huc non rarò referunt verba) aliud tamen est, hominem non posse suis viribus sanctos motus ex se elicere; aliud, non posse Deo, Sanctos motus producturo, repugnare. Prius conceditur; posterius, de quo quæstio est, etiam nunc negatur. Quod alterum locum attinet; nec ille quicquam probat. Non enim excluditur in vocibus: Deum operari in nobis velle & perficere *secundum suum beneplacitum*, malitiosa resistantia; sed merita præcedentia & vis activa naturalis excluduntur: quâ ratione manet opus solius gratiæ divinæ, quam ex libera sua voluntate nobis communicet. In hunc sensum enim *eudonia* accipitur *Ephes. I. 5.* & alibi.

§. II. Denique dictum *Ephes. I. 19.* ubi dicitur, quod Deus excellentem illam magnitudinem potentiae suae exerat in nobis, qui credimus, pro efficacitate fortis roboris ipsius; pro insuperabili, & irresistibili illa operatione Dei in conversione, nil concludit. Loquitur Paulus tantum de potentia illa, quâ Deus utatur, cum homines convertit, quod sit eadem potentia cum illa, per quam Christum è mortuis suscitavit: atq; ita Ephesiis, qui aliàs plenarium conceptum illius potentiae non habebant; cognoscendam potentiam illam, ex effectu illustri suscitationis corporis Christi &c. suppeditat: uti contextus clare ostendit. Quod autem Deus potentia sua infinita in conversione hominis sic utatur, ut eam omni humanæ malitiæ contrà nitenti, tanquam irresistibiliter destruendæ, opponat; neutiquam dicit. Firmum ergo manet, quod adversarii suam hypothesein ex scriptura probare non possint.

§. 12. Vi-



§. 12. Videamus ergo

II. Rationes, quas pro sua sententia Reformati adferunt.

I. Si omnes, qui non pervicaciter resistunt, convertuntur, sequitur, non-resistentiâ hominis Deum moveri ad hunc præ aliis convertendum; ac proinde non-resistentiam hominis esse causam impulsivam, quâ Deus impellatur ad ipsam convertendum. Resp. Pulchrè hanc objectionem, similitudine quadam, solvit B. Job. Musæus in incomparabili tractatu de prædestinatione, cap. XI. §. 405. Verba ipsius retinebimus. *Sint duo, inquit, vel tres mendici, primo aspectu æquè miserabiles, qui in via publica desidentes, Eleemosynam à prætereuntibus expectent: is verò, qui præterit, equali tangatur misericordiâ, & pro sua, qua in proximum egentem flagrat, charitate, proque ratione facultatum omnibus tribus porrigat eleemosynam, & tantum tribuat secundo ac tertio, quantum primo. Causa porrectæ eleemosynæ impulsiva ei circa dubium est sua misericordia, eaque erga tres mendicos, exteriori aspectu æquè miserabiles & egentes, equalis. Faciamus jam, eum, qui ordine primus est, accipere eleemosynam porrectam manu extensa; reliquos duos autem, qui plus expectaverant, alium nolle manum extendere, & eleemosynam oblatam acceptare; alium repellere manum porrigentis, & eleemosynam, ei excussam, pedibus conculcare: duo posteriores rectè dicuntur per suam RESISTENTIAM in culpa fuisse, cur eleemosynæ participes facti non sint. Non autem propterea primi NON RESISTENTIA vel MANUS EJUS, ad accipiendam eleemosynam, EXTENTA; porrigenti CAUSA IMPULSIVA fuerit, cur eleemosynam ipsi dare voluerit & dederit; sed sua MISERICORDIA, mendicorum miseria provocata, &c. Et paulò post in applicatione: Sic Deus sola erga nos boni-*

"tate, misericordiâ & gratiâ, nostrâ, in quam per pecca-
 "tum equè omnes incideramus, miserâ provocatâ, velut
 "CAUSA IMPULSIVA INTERNA; & Christi merito,
 "velut causa IMPULSIVA EXTERNA, motus, offert
 "verbum suum, tanquam organon accendendæ fidei, cum
 "his, qui non malitiosè resistunt, tam aliis malitiosè resi-
 "stentibus; in utrisque fidem in Christum per illud ope-
 "raturus. Qui ergo verbum hoc contemnunt vel mali-
 "tiosè resistunt, sibi ipsis in causa sunt, cur fidei in Chri-
 "stum participes non fiant. Contrâ autem, qui non ma-
 "litiosè resistunt, in iis operatur Deus fidem per verbum;
 "non aliâ motus causâ impulsivâ, quam quâ motus eam in
 "ipsis & aliis operari volebat: quæ non est ipsorum NON
 "RESISTENTIA, sed ipsius BONITAS, MISERICOR-
 "DIA, &c.

§. 13. (2) Objiciunt, si homo resistere posset, & non
 resisteret actu, non resistantiæ & regenerationis gloriam ha-
 beret à se, ut qui seipsum decerneret; contra Paulum, I. Co-
 rinth. IV, 7. *Quis te decernit? quid autem habes, quod non ac-
 cepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*
 Resp. ad quid miser peccator gloriatur? cum nullam glo-
 riationis causam habet. Scit, omnia à mera gratia & mise-
 ricordia divina esse, quod è statu peccaminoso, in statum
 libertatis transductus sit. Quod se contumacem non præ-
 buit, sed gratiam divinam recepit, an hæc gloriationis
 causa? non major profectò, quam si mendicus contra re-
 gem gloriari vellet, propriâ se industriâ & virtute, divitias
 consecutum, eo quod divitias sibi à rege oblatas, non re-
 spuerit, cum posset; sed avide acceperit. Excipiunt: glo-
 riarî possunt adversus aliquem, qui incredulus est. R. Si
 eâ intentione faciant, ut alium ad æmulationem impellant,
 non legimus uspiam, prohibitum fuisse; potius verò lici-
 tum esse, ex Gal. VI, 4. constat: ac exemplum habemus in
 apo-

apostolo Paulo, II. Cor. XI. XII. qui varios labores & persecu-
 tiones recenset: non tamen animo se efferendi, omnia enim
 adscribit gratiæ divinæ, I. Cor. XV, 10. *abundantius illis omni-
 bus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum.* vide & cap.
 III, 67. neque animò contemnendi alios præ se; sed cele-
 brandi gratiam divinam in se; simul adversarios calumnia-
 tores corrigendi. Quod dictum I. Cor IV, 7. attinet, quod in
 objectione proferunt; Resp. Loquitur apostolus tantum
 de gloriatione illa, quam fidelis contra fidelem facit, quòd
 majora dona extraordinaria, quæ in Ecclesia primitiva vi-
 gebant, acceperit: hanc dicit esse inanem; quia in totum
 è gratuita Dei distributione dependent, qui unicuique dis-
 tribuit quantum vult. Unde ad præsens negotium ineptè
 applicatur.

§. 14. (3) argumentantur: Si ad conversionem ho-
 minis non requiritur gratia ejusmodi determinans: ergo
 Deus nullam gratiam singularem confert iis, qui conver-
 tuntur, præ iis, qui non convertuntur: & sic Petro major
 gratia non erit facta, quam Judæ; neque Paulo, quàm Pi-
 lato. Resp. Si adversarii per singularem & majorem gra-
 tiam intelligant gratiam specie distinctam, à parte Dei, ab
 illa, quæ confertur eis, qui non credunt; dicimus omninò
 uni non aliam datam gratiam, quàm alteri: eadem
 namque est gratia, quâ credentes convertuntur, & quam re-
 probi rejiciunt; sicut idem semen, quod *Matth. XIII.* secun-
 dùm viam, in petro sum, & bonum agrum cadebat; uti initio
 monstravimus. Si verò intelligant gradu distinctam, con-
 cedimus, Deum quosdam habuisse eximios, quos, extraordi-
 nariè, majoribus gratiæ donis locupletet: ac in illorum nu-
 mero fuisse apostolos, quos ipse vocavit, & in quos Spiritum
 sanctum copiosè effudit. Gratiæ tamen illius disparitas,
 non ita se habet, ut dicamus, sufficientem non fuisse com-
 municatam illis, qui non convertuntur: quia & eandem
 gratiam acceperunt, qua credentes ordinariè convertuntur;
 quòd vero non conversi sunt, cum æquè atque alii converti
 E 3 potuif-




potuissent, ex resistantia illorum malitiosa ortum trahit. Imò si accepissent majora gratia dona, potuissent tamen resistere, quod clarè nobis monstrat apostolus Paulus; qui, quamvis Christus ei è cœlis se revelaverat, *act. IX.* ac propterea *superabundabat gratia Domini Jesu erga ipsum, I. Tim. I, 14.* dicit tamen, *se non immorigerum fuisse cœlesti visioni, act. XXVI, 19.* & *se non contulisse cum carne & sanguine, Gal. I, 16.* quod dicere non poterat, si potentia resistendi ipsi adempta fuisset.

§. 15. (4) Postremò objiciunt: Si pro lubitu proprio quis regenerationi divinæ resistere posset, tum & omnes potuissent, ita ut nullus regeneraretur; & sic Christus esset Salvator, ut nihilominus nulli sint, qui servantur: quod absurdum. Resp. Reverà manet Christus Servator, etsi fieret, ut nullus hominum ob malitosam suam resistantiam & contumaciam servaretur. Reconciliavit enim Deum iratum, suo sanguine nos redemit, ac ad obediendum Deo sufficientes vires promeruit; ita ut à parte sua prætereà nihil possit requiri, licet hominum vitiò salus ipsis reverà non conferatur. Sic medicus oppidanus aut amplioris civitatis, reverà est, & manet; licet neminem eorum, qui medicamenta sua respuunt, sanet. Sed quid prodest de his multa differere, quæ extra verbum Dei ac statum Ecclesiæ, non nisi temerariæ speculationes sunt? Deus enim ab initio mundi habuit, & ad finem usque habiturus est, qui media non respuunt, sed pro immensa misericordia erga genus humanum, quâ ipsi conversi sunt aut convertentur, DEO gratias agunt aut agent.


FINIS.





11







292









24
B. C. D.

eptris Academicis
PRINCIPIS AC DOMINI,
DOMINI
S GVILIELMI,
ONIAE, JULIACI, CLIC
C MONTIUM, &c.

DE

SENTIA HOMI-
LITIOSA, QUAE
UI SANCTO IN OPERE
NVERSIONIS,

PRÆSIDE

LIELMO BAJERO,
re, ejusdemq; in incluta
Salana Professore Publico,
ceptore ac Hospite suo omni obser-
ultu aeternum devenerando,

Publicè disputabit

AUCTOR

BUS VELTEN,
Delpho-Batavus.

l. Maji, M DC LXXXIX. Mai 1689

JENÆ,

VID. WERTHERI, Typogr. Ducalis.

